



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XII. Ex Concilio a Generali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

NOTÆ.

1. a **[Dem.]** Ita tantum legitur in sexta collectione, & in quarta *sub tit. de probationibus, cap. 2.* Sed literam integram, & inscriptionem restituo ex epistolis ipsius Pontificis *lib. 1. regestr. 13. epist. 196.* Monasterium Vallis Claræ est Ordinis Cisterciensis, in diœcesi Lugdunensi, constructum à Comite de Rouilly anno 1134. ut referunt Claudius Robertus *in sua Gallia, Manrique tom. 1. annal. Cisterc. anno 1134. cap. 8. num. 3.* Fratres Sarmath. *tom. 4. Gallie Christ. fol. 894.* De diœcesi Lugdunensi nonnulla adduxi *in cap. 25. de rescript.*
2. b **[Sancti Petri ad Montes.]** Duplex est Abbatia hujus nominis in Gallia, utraque Ordinis sancti Augustini, una in diœcesi Claramontensi, alia in Episcopatu Catalaunensi, à Rogerio Epif-

copo anno 1096. fundata, ut referunt Fratres Sarmath. *tom. 4. Gallie. fol. 720.* & ejus absque dubio electus erat Abbas Iacobus, de quo in hac epistola agitur.

c **[Nulla sit probatio.]** Iuxta tradita *in cap. quoniam 11. de probat.*

d **[Instrumentorum, vel testium.]** Ob eandem etiam rationem in canone 38. Concilij Lateran. Innocentius III. statuit, ut in quolibet judicio iudex semper adhibeat publicam personam, vel duos testes idoneos, qui fideliter universa judicij acta conscribant, ut referunt *in cap. quoniam 11. de probat. ubi notavi.*

e **[Prorumpentis.]** Quod grave delictum est, ut probat Narbona *in l. 20. tit. 1. lib. 4. recopil. glossa. 18.* & iudex potest non solum punire offendentes personam propriam. verum & familiam suam, ut probavi *in cap. 1. de offic. deleg.*

CAPUT XII.

Ex Concilio ^a Generali.

IN quibusdam provinciis, & Ecclesiarum patroni, & ^b advocati, & vicedomini se in tantam insolentiam erexerunt, & audaciam, quod non solum cum vacantibus Ecclesiis debet de Pastoribus idoneis provideri, difficultates ingerunt, & malitias; verum etiam de possessionibus, & aliis bonis ecclesiasticis pro sua voluntate præsumunt; & quod horrendum est dicere, in necem Prælatorum prorumpere non formidant. Cum igitur quod ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis dispendium non debeat retorqueri, prohibemus expressè, ne patroni, vel advocati, seu vicedomini super præmissis de cætero plus usurpent, quam reperitur in jure expressum; & si contra præsumperint, per severitatem canonicam ditricte summè compeſcantur. Sacri nihilominus Concilii approbatione statuimus, quod si patroni, vel advocati, aut feudatarii, seu vicedomini, seu alii beneficiati alicujus Ecclesiæ Rectorem, vel clericum alium ipsius Ecclesiæ per se, vel per alios occidere, vel mutilare aucto nefando præsumperint, patroni jus patronatus, advocati advocatiam, feudatarii feudum, vicedomini vicedominatum, vel beneficiati beneficium prorsus ^c amittant: & ne minus vindicta, quam excessus memoria prorogetur, non solum de præmissis nihil proveniat ad hæredes, sed etiam usque ad quartam generationem posteritates talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, nec in regularibus domibus alicujus Prælationis affequantur honorem, nisi cum eis fuerit dispensatum.

NOTÆ.

^a **[Generali.]** Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & in ipso Concilio Lateran. *cap. 45.* de quo Concilio nonnulla adduxi *in cap. 1. de summa Trinit.*

^b **[Patroni, & advocati.]** De quibus, & eorum

abusu circa Ecclesias sibi commendatas, egi *in cap. 13. de jure patron. ubi commentarium hujus prioris partis inveniens.*

^c **[Amittant.]** Illustrant hanc partem Gibalinus *de censur. in synopsi. verbo Homicidium*, Barbosa *de jure ecclesiastico lib. 3. cap. 14.* Lambertinus *de iure patron. art. 3. & 7.* Gutierrez *lib. 2. canonicorum. c. 7.*

CAPUT XIII.

Honorius III. *Præposito, Archidiacon. & H. de Parisiis, Canonico*
^a *Suession.*

GRavem dilectorum filiorum Capituli ^b Laudunensis recepimus quæſtionem, quod cum nobilis vir ^c Comes Registensis pro multis injuriis, quas irrogarat eisdem, per iudices à Sede Apostolica delegatos excommunicationis vinculo fuerit innodatus, idem jam per duos annos & amplius in excommunicatione persistens juri